
EPISTOLA PASTORALIS

ARCHIEPISCOPI GENVENSIS.

8 2



ANDREAS CHARVAZ

DIVINA MISERATIONE ET GRATIA SEDIS APOSTOLICAE

ARCHIEPISCOPVS GENVENSIS

ABBAS PERPETVVS S. SYRI, LEGATVS TRANSMARINVS S. S.

AD CLERVM ET FIDELES NOSTRAE DIŒCESIS

SALVTEM ET BENEDICTIONEM

IN DOMINO.

Dum gravibus cogitationibus nunc tenentur animi, dum ubique verbis scriptisque certatur, dum tanta fervet partium negotiorumque pugna, lubet ne vobis adhuc, dilectissimi in Christo fratres et filii, vocem nunc primum vos alloquentem audire? Absit quod hoc a vobis non fidenter speremus: hujus enim spei omen sunt antiqua fides et nobilis indoles, quibus tantopere enitetis. Ita sane vocem audietis illius, qui venit ut vos

in via salutis regat (1), qui constitutus animarum vestrarum Pastor et Episcopus (2) vos omnes sine partium discrimine aut opinionum, aut status, aut conditionum paterne amplexatur. Nostra ita sane verba benevole excipietis, voluntate sincera qua vos prosequimur confidentes, et perinde ac olim filii Israël, et quidem longe majori jure, invicem dicetis: en pontificem! en adest *homo sacerdos de semine Aaron*; *nos non decipiet* (5); ipsum audiamus.

Non equidem nos latet, D. F. et F., haud sane magistros hodie mundo deficere: unusquisque enim alios docendi jus sibi arrogat: adsunt oratores pro quibuslibet deliramentis, et pro quibuscumque errorum monstris auditores acervatim conveniunt: nec diu magistrorum caterva numerum discipulorum aequabit. Numquam genus humanum tot habuit ductores et sophos: ubicumque ferme et de quacumque re orbis in immensum vertitur Athenaeum, in quo singuli sua vice ut aliorum praeceptores se se obtrudunt. Imo et in religionis negotio surgunt hinc et illinc extemporales apostoli, qui nova dogmata buccinantes vestram regenerationem sibi adjudicant.

Verum, D. F. et F., ita saltem circa religionis principia res habendae sunt? Numquid omnes doctores et evangelistae (4)? Divinus Ecclesiae Auctor reliquit ne religionis magisterium velut singulorum jus, aut omnium indiscriminatim officium, aut cujusvis vel ignoti missionem? Vel nulla requiretur vocatio et institutio ad exercitium tam gravis in societate ministerii?

Quibus percunctationibus, quae altissimum habent hoc quo vivimus tempore momentum, jam vestra respondit fides, D. F. et F. Alte enim conclamat Evangelium, Deum, qui *vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire* (5), hanc labiis et cordibus Apostolorum commisisse: *vocavit duodecim* (6); nostis quomodo eos, ut in una eademque doctrina servarentur, circa perpetuum unitatis centrum colligeret (7); nostis promissum eis Spiritum Sanctum Paraclitum (8); et quomodo e Caenaculo exeuntes fide, spe ac charitate flagrarent, et in ethnicorum caliginem irrumpentes sanctitatis et veritatum lucem usquequaque effunderent (9). Talia fudit Christus Jesus: quid, quaeso, clarius, quid luculentius pro divina Apostolorum vocatione, institutione et missione? Quid quod, vel ipse Paulus, etsi nondum inter Christi discipulos cooptatus, in hac ipsa vocatione et electione fretus argumentatur, ut coram Judaeis et Gentilibus stupendae missionis, qua perfuncturus erat, rationem redderet: *Paulus* inquit ipse, *vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei* (10). Quapropter hoc imprimis statuit principium, continue subinde in Ecclesia servatum et retentum, nemini videlicet licere ministerii honorem sibi assumere, nisi qui vocetur a Deo tamquam Aaron (11). Hinc solemniter proclamat, talem revera esse Christi Domini ordinationem et institutum; « ipse enim est, inquit, ipse Christus qui quosdam » dedit Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero » Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores:... ut » jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur

» omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia » ad circumventionem erroris; veritatem autem facientes » in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput » Christus (12) ». Liquido igitur clarescit tum institutio magisterii publici ope Pastorum, quos Christus constituit, tum formatio specialis ministerii, cui illud demandaretur, tum ejusdem perpetua indefectibilitas.

Nunc quis, D. F. et F., illius divinae auctoritatis tesseram in Catholica Ecclesia non agnoscet? Perenne hujus Ecclesiae magisterium, quod a Sospitatore ad Patriarcham usque generis humani ascendit, et per sexaginta saeculorum devexum ad nos pervenit adhuc in omnes futuras mundi aetates proficiscens; hierarchica innumerorum ejus membrorum instar unius hominis operantium ordinatio; sui verbi portenta, prodigiosa ejus voluminum heroumque series, templorum cultusque majestas, charismatum efficacia, dogmatum sanctitas; ejus vox, quae e Petri sepulchro, ubi in civitate aeterna sedet, per orbem terrarum observata resonat; suae potentiae attributa, lux et amor quibus constat, populorum humanitas ejus halitibus inspirata; ejus imperium inter humanarum omnium institutionum ruinas jugiter oppugnatum, jugiterque triumphans, ah! D. F. et F., hoc augustum existentiae mysterium inter tot gloriae fulgores perennatum clare ostendit ubi semper fuerint, et ubi sint veri successores eorum, quibus Redemptor dixit: « Euntes docete omnes gentes:.... praedicate » Evangelium omni creaturae.... docentes eas servare » quaecumque mandavi vobis.... (13): ecce ego vo-

» biscum sum omnibus diebus usque ad consummatio-
» nem saeculi (14) ».

Animarum itaque vestrarum Pastor adsumus, non ex nobis ipsis aut proprio nutu; sed Apostolorum, ut ut indigne, successor, legitima apud vos vice fungimur. Summus Hierarcha, Regis electionem consecrans, sanctum episcopale officium Jesu Christi nomine nobis demandavit (15). Parcite ergo, D. F. et F., nostrae infirmitati in obsequium Illius, qui nos divina sua potestate fulcivit.

Verum, o quam lugenda temporum conditio, quibus ad formidandi ministerii exercitium vocamur! Illud enimvero nobis exordiendum tunc est, quando fides multorum, sophismatis incredulitatis obtenebrata, incessanti pugna novis in dies assultibus impetitur, quin ulla ab hostibus ei relinquantur aut pacis requies, aut pugnarum induciae: quando hinc obcaecatio mentis errorumque vertigo, illinc fascinatio nugacitatis (16) integram absorbent animi attentionem vitaeque curas, cuncta cordis desideria ad terrena oblectamenta convertunt, hominemque ipsum in teterrimam conjiciunt oblivionem veritatum omnium gravissimarum, cujusmodi sunt hae: istius mundi figuram cito praeterire (17), coelum veram esse homini patriam, Deum esse adorandum, illique serviendum, servanda ejus mandata, salvandam animam, ideoque ingentes exantlandos labores, et immania complenda sacrificia, ut tandem aliquando obtingatur beata immortalitatis meta.

Talium porro hominum agendi rationis adspectu,

quorum miserandas sortes amarissime flemus, quis illos non agnoscet graphice depictos in istis Pauli ad Timotheum verbis? « Hoc autem scito quod instabunt tem» pora periculosa; erunt homines se ipsos amantes, » cupidi, elati, superbi, blasphemi, sine affectione, sine » pace, incontinentes, immites, voluptatum amatores » magis quam Dei, habentes quidem speciem pietatis, » virtutem autem ejus abnegantes . . . semper discentes » et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes . . . » resistent veritati, homines corrupti mente, reprobi » circa fidem (18) ». Et alibi idem Apostolus de illis praedicit: « Erit tempus cum sanam doctrinam non » sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi » magistros, prurientes auribus, et a veritate quidem » auditum avertent, ad fabulas autem convertentur (19)».

Num talia fando non videtur Apostolus in antecessum descripsisse et contrivisse recentiores acerrimos fidei hostes? Ecquis enimvero non videt quomodo falsa scientia, continue obluctans verbisque digladians, undique doctrinam e coelo dilapsam audax adgreditur, et effreni temeritate conatur tum illam reformare, perinde ac si Ecclesia, unica ejus interpres et custos, eam labefactasset unquam aut adulterasset; tum illam regenerare, quasi injuria temporum ipsa antiquata jam interierit; tum illam puriorem perfectioremque reddere, et saeculi opinamentis societatisque progressibus magis ac magis accommodare; perinde ac si talis nobis data non fuisset, quae immutabilem praestaret opinionum morumque normam et basim, et perinde ac si alia ulla sit vel

esse possit veri et legitimi progressus causa apud illos populos, qui salutifero ejus imperio non paruerunt, vel qui unicum hunc vitae, ordinis, pacis et veritatis fontem repudiarunt: *ego sum*, inquit Christus, *via, veritas et vita* (20). Ecquis non lugens cernit miserandos tot christianos, errantes ceu oves pastore carentes (21), a Deo fugientes, in quem tamen credunt, et a religione, quae ipsos nascentes excepit, educabat, et quasi manu ad coelum usque ducebat.

Istis erroribus tam lugendis et tam, heu nimium! nunc ubique diffusis alii insuper accedunt, D. F. et F.; videlicet incessantes conatus illorum scriptorum, qui, abutentes libertate legibus concessa cogitatus mentis scriptis et typis evulgandi, videntur, instar illorum de quibus Psaltes Regius, profiteri: *linguam nostram magnificabimus: labia nostra a nobis sunt* (26): quidquid itaque nobis beneplacitum fuerit cogitemus, dicamus, diffundamus: *quis noster Dominus est?* et quis linguae frenum injicere audebit? Miseranda gens, quae scriptorum munus, quod est moralis quidam magistratus capax salutiferae actionis in societatis bonum, erroris superbia pruriens convertit in artem turpissimam et corruptricem, in monopolium omnium pravissimum.

Quae quum ita sint, quaenam, quaeso, adiungenda fides talibus hominibus, qui disserentes de religione illam alternatim propugnant vel oppugnant; illam mox acceptant obsequentes, mox rebelles respuunt; illam una simul incenso et opprobriis offundunt; hominibus, qui ejus principium ad coelum extollunt, ast simul ejus

imperium de medio tollere satagunt; quique uno verbo illam quidem emphatice acceptant, sed interim nil non moliuntur ut essentiam ejus adulterent, aut fructus penitus evertant? Quo pacto, rogo, talis furfuris homunciones, qui indesinenter honestam libertatem, qualem quivis cordatus vir frugi plurimi facit et appetit, confundunt cum inverecunda licentia e diametro ab ipsa aliena, quin imo infensissima, quo pacto, inquam, et quid tales scriptores conferre valent ad patriae gloriam et prosperitatem? Quid, imo dicam, ad ejus dignitatem? Quae enimvero sententiarum altitudo, quae animi excellentia, quae cordis generosa liberalitas, quae modorum comitas oriri unquam poterunt e talibus scriptis, in quibus cuncta conspirant ad excitandas praviores hominis cupiditates, illumque ipsum immergendum in vilissimarum voluptatum coenum? Quis nescit eo procliviorem populum quemvis ad efferatos dilabi mores, quo ad praviores turpioresque jamjam devenerit; nec ullam esse posse gentem adeo potentem adeoque excellentem, quae moribus et religione carere possit; et nunquam, istis rejectis, aut obtineri posse veram mundi perfectionem. aut sine eorum adjutorio posse servari? Quis tandem ignoret jus evulgandi mentis conceptus hanc cordato cuivis conditionem imponere, ut nempe nonnisi justis, honestis et legitimis rationibus utatur, et ante leges scriptas, vel et supra humanas praescriptiones vim suam et imperium exercere legem naturalem. quae ingenii ejusque facultatum usum moderetur: tandem nunquam sincerum patriae amorem bonas utilesque

inspirationes hausisse aut haurire posse ex impietatis et corruptionis fontibus? Quae quidem veritates, D. F. et F., si cuivis aevo accommodantur, quanto magis hisce quibus vivimus temporibus attentos vos exigunt et dociles? Sane ubi parandi sunt homines ad libertatem, tunc eo magis opus est mores in melius emendare, religionemque in animis altis radicibus firmare. Quominus efficax est visibile imperium in homines, eo magis necessarium est invisibile imperium, quod illos in officio contineat et regat: quo magis acies legum et auctoritatis hebescit, eo magis opus erit ut illis suppleat conscientiae imperativum dictamen. Deme religionem et leges quas imposuit, nil homini restat, nisi cupiditates et commodorum studia, quae mox conscientiam et ipsammet rationem in transversum agent et pervertent; nil remanet, nisi inexplebilis philautia, quae mox homines ab invicem dividet distrahetque, nedum uniat et in unum colligat. *Unde bella, unde lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris.... Subditi ergo estote Deo* (23). Id itaque vobis ratum persuasumque sit, D. F. et F., hoc imprimis niti futuras sortes societatis, sortes pauperum aeque ac opibus potentium, servorum perinde ac dominorum, videlicet conceptu *officii*: extra hoc salutare officii jugum, vel absque illo, mundus violenter agitabitur in infinito errorum circulo, brevi sus deque vertetur, et post phantasmata incassum fatigabitur: quod ut avertatur, audiantur divina eloquia et falli et fallere nescia: *Quaerite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis* (24).

Praeter haec, erunt ne hic recolenda calumniosa dicteria, quae in nos, vel priusquam ad vos venissemus, insinuarunt memorati scriptores? Erunt ne hic detegendi arcani fines, propter quos ita se gesserint? Absit, D. F. et F. Sed hoc potius vobis hic profitemur, quocumque pertingere possint isthaec opprobria, numquam profecto in corde praefocatura sensus ardentissimae charitatis, qua in illos, uti pastor et pater, flagramus. Ex quo colligite, dilectissimi, quod, etsi in posterum in ministerii nostri officio nos non manerent nisi curae absque honore, labores absque solamine, non ideo tamen minus impense vestro studebimus majori bono. Quandoquidem ad vos mittimur, non ut propriae quieti, aut gloriae, aut emolumentis consulamus, non equidem ut superbum in vos teneamus dominatum, insolentemque auctoritatem exerceamus, sed imo potius ut omnium et singulorum utilitatibus provideamus, omnibusque absque discrimine serviamus, aequo animo in antecessum acceptantes, exemplo S. Pauli, aut gloriam aut ignominiam, simulque indesinenter partes agendo ministri Dei in tribulationibus, in angustiis, in angoribus et periculis quibuscumque, quae nobis secus viam obtingere poterunt (25). O magnam et ineffabilem divini Praeceptoris erga filios providentiam, dum illis absolute mancipat Pastores, quos ad illos mittit, et simul quamcumque a tali ordinatione aut reservationem aut limitationem arcet.

Hactenus vobis, D. F. et F., aliquos patefecimus praecipuos obices, quibus praepediri potest quadantenus

nostri apud vos ministerii efficacia. Nec ideo tamen, quod candide declaramus, hebescit quam in vobis reposuimus fides, aut spes obtunditur. Quandoquidem a Domino Deo ad vos mittimur: Deus ergo praesto nobis in omnibus aderit usque ad vitae terminum: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus* (26); ipse nos luce sua illuminabit, et in brachio suo extento fulciet roborabitque. A Domino, non utique a nobis, factum est istud ex quo missio nostra procedit, idcirco nos recreat spes quod ipse nobiscum praestabit. ut haec missio ad ejus gloriam vergat et ad vestram salutem: *Domini enim est assumptio nostra* (27). Ab illo, inquiebat S. Leo, procedit onus, ab illo ideo provenient et vires ad sustinendum regendumque officium necessariae: dignitatem contulit, conferet et robur. Etenim de religionis ministris, de vivis et angularibus Eccclesiae lapidibus Spiritus Sanctus profitetur se infirma mundi et contemptibilia elegisse, ut fortia quaeque confundat (28). Ita sane: nec unquam nos praeterit quod non sumus sufficientes a nobis quaeri ex nobis, sed quod sufficientia nostra in Deo est, et quod omnia possumus in eo qui nos confortat (29).

Mox enarratis spei causis, quae velut inconcussa basis animum nostrum firmant, aliae plures insuper accedunt, D. F. et F.; et quidem non minus honorabiles vobis, quam nobismetipsis suaves et iucundae: plene videlicet constans vestra fiducia, impensus amor et filialis obedientia quibus Praedecessores nostros estis prosecuti, quaeque praecipuum illis fuere in ministerio solatium, sicuti eas velut praecipuum vestrum meritum aestima-

mus. Quocirca honorandum testimonium nobis ipsis praestiterunt duo illustres Pastores, qui postremo apud vos tot praeclara reliquerunt sollicitudinis episcopalis vestigia, viri longe minus dignitatibus, quam potius virtute et doctrina clarescentes. Quales igitur erga illos fuistis; nobis dulcis arridet spes, D. F. et F., quod tales erga nos sitis futuri, quandoquidem non minori nec minus impenso amore, ac illi, omnes et singulos vestrum complectimur. Hac itaque mutua fiducia, hac stricta animorum conjunctione facilis evadet operatio boni; etenim non ob aliam quamcumque causam, nisi ad operandum bonum, illudque quo abundantius per vires nostras licebit, desiderio flagramus cito ad vos veniendi, et super vos omnes spirituales gratias effundendi, quas Salvator Christus ministerio nostro pastorali annectere voluit (30). Quod si, F. et F. D., fas est aliud in ministerio nostro intueri praeter quam onus nostris humeris formidandum et officium coram Deo terribile, in hoc profecto gloriari luberet et merito quidem, quod praeficimur huic antiquae et perillustri Genuensi Ecclesiae, cujus inclyta sedes tot clarissimis Praesulibus tam virtute quam doctrina insignibus fuit illustrata, et tunc ingenti gaudio cum regio Psalte exclamaremus: ***Confitebor tibi in Ecclesia magna, et in populo gravi laudabo te*** (31). Simul una cum omnibus exterarum gentium viatoribus admiraremur tunc praeclaram hanc Metropolim, ubi omnia redolent et proclamant sapientiam laboris et industriarum multiplicitatem, tunc Populum qui potuit scopulum, prius imma-

nem, convertere in urbem quae justo nomine *superba* vocatur inter gentes, quaeque, ut perbelle advertebat celebris quaedam femina, a regum conventu splendida mediterranei maris regina fuit creata. Ubi omnia ferme vobis natura negarat, labor indefessus, potior familiae et societatis lex, omnia vobis donavit. Verum quod prae caeteris longe magis admiraremur, quod perfectioribus et artis et laboris operibus praeponimus, is est sapientissimus divitiarum vestrarum usus. Ecquis revera alte non obstupescet intuens tot magnifica hospitia in beneficium humanitatis aut aegrotantis, aut ignarae, aut derelictae extructa, tot inclytas sacras aedes marmore et auro pretiosas, in quibus majores vestri non peritura suae erga miseros charitatis et zeli pro Christi religione monumenta reliquerunt. Oh! quantum haec miracula vestrae digna sunt Metropolis, quae quavis aetate gloriata est, et etiam nunc gloriatur dulcissimo titulo *Civitatis Mariae*, quam Reginam Coelorum augustam Dei Genitricem sibi patronam et protectricem elegit!

Nec minori perfundimur laetitia intuentes recentiores aedes hospitales quas Genuensium civium potissima pars, semper sibi constans suique ipsius digna, atque pietatis majorum aemulatrix, nostra hac aetate erexit ad tenerioris infantiae institutionem, et ad mendicorum refugium. Quae quidem providentiae, unicae ferme quas majores vestri statuendas reliquissent, ex parte nostri profecto omnem ardentiorem sollicitudinem, et efficacia incitamenta sibi habebunt.

Quae quum ita sint, quumque tam late pateat ar-

196

duumque sit ministerium quod apud vos exordimur, in vestra imprimis, et fidentissime quidem, cooperatione omnem nostram reponimus fiduciam, o venerandi tum civitatis, tum totius dioecesis Sacerdotes. Vos profecto non latet altaris ministros non utique esse meram individuorum aggregationem, sed imo potius bene compactum quoddam corpus, quod ex unione membrorum et relativa subjectione vim suam haurit et robur. Absint ergo a vobis aut diffidentia, aut dissensiones, aut partium studia. Vocati, juxta grave Apostoli effatum, *homines Dei* (32), et ut ejus consilia compleamus, opus plane est ut concordia mutuo constricti ad illam alacres progrediamur metam quam signavit Christus, omnesque simul os unum et cor unum habeamus (33); opus est ut ad superna extollamur, et super omnes politicas opiniones, super partes et cogitatus, quibus inferius homines discerpuntur; opus est ut omnibus societatis conditionibus serviamus, quin ulli servi simus unquam; opus tandem est ut omnibus omnia facti satagamus omnes Christo lucrifacere (34). Nec itaque rogo vos praetereat, Ecclesiam hisce quibus vivimus temporibus quam maxime indigere Pastoribus qui obsequium et obedientiam servent tum auctoritati, tum institutis, nec tamen in caecam cadant servilitatem; qui amore patriae flagrent, nec tamen ab Ecclesia discedant; qui fidem servent, nec tamen sinant offundi sibi tenebras aut ignorantia, aut superstitione. Et haec quidem, Cooperatores nostri dilectissimi, haec sunt principia quibus in politicis negotiis nos regi oportet; et nemini unquam

agnoscemus jus alia quaevis illis opposita nobis attribuendi, vel injicendi suspicionem et insimulationem in nostram regimini nunc constituto observantiam, non magis ac in addictam nostram voluntatem pro patriae incolumitate, prosperitate et gloria. Quomodonam aliter se res habere posset? Enimvero quandonam religio, cujus ministri sumus, aliud praeter subjectionem et obedientiam omni potestati sublimiori constitutae inculcavit unquam? Quandonam suum denegavit generosum concursum in his omnibus, quae ad filiorum suorum sortes et nobiliores et mitiores faciendas vergunt? Profecto qui vel minimam hac de re suspicionem moveret, is religionis ipsius historiae mentiretur, spiritum ejus contemneret, divinumque illius calumniaretur Auctorem. Ministri Christi, Christi ipsius vestigiis haerentes, nil nisi ardentem charitatem erga fratres suos spirant; siquidem hac nostra, perinde ac elapsa aetate, a quocumque societatis coetu et societate nunquam se sinunt vinci nec amore nec operoso studio ad majus societatis, imo et totius humanitatis bonum; id solum odio habent quod hominem foedat et corrumpit. Quid quod, vel extra propriae suae missionis limites ipsi sunt semper et ubique sinceri populi amici, generosi illius consiliarii, nec non et in ejus afflictionibus et aerumnis vitae consolatores.

Hinc ergo concludite, dilectissimi Cooperatores nostri, quod si unquam rerum adjuncta quosdam vestrum vocarent ad aliquas exercendas partes in politicis disputationibus, meminerint hoc esse praestandum non utique stu-

198

dio partium ad fovendas humanas concertationes, sed tali modo qui deceat virum sapientem, zelatorem justitiae, pacis, ordinis et praesertim charitatis, earumque lumine dirigatur. Omnibus itaque sit alta mente repositum, religionem nempe firmissimum esse societatis fundamentum, solam et utilissimam cujusvis legitimi progressus normam, simulque purissimum et inexhaustum felicitatis populorum fontem; uno verbo, Evangelium verum esse, imo et unicum morum et legum perfectionis codicem, et tunc ministros Christi certo tenere debere, se jam sat praestitisse, si divini Praeceptoris documenta praebuerint, ejusque spiritum commissis sibi populis infuderint. Re quidem vera major et sanior hominum pars non aliam, praeter istam, tum morum tum legum perfectionem agnoscit et reveretur, nec alia quaevis extra istam esse unquam poterit. His hoc unum addamus, videlicet: ubi corpus constitutum ad erudiendos populos in religionis principia doctrinam et officium sanctimonia vitae confirmat, robur tunc assequitur plane divinum; robur hoc, inquam, quod mundum ad fidem convertit, siculi etiamnunc potest adhuc illum salvare; idque eo magis patebit, si attendatur quomodo nunc agnoscant et proclament omnes cordati viri, causam religionis intimo nexu cum causa ordinis et cum pace societatis colligari.

Quis hinc non videt, dilectissimi Cooperatores, quantum discriminis adsit inter vestrum sublime ministerium et miserum officium scriptorum, qui vos odio et opprobriis insequuntur? Enimvero vos nomine Chri-

sti homines alloquimini praebentes illis verbum vitae et veritatis, quod manet in aeternum (35); ipsi vero verba proferunt quae dolum spectant, quaeque inania commenta, somnia et opiniones sibi invicem adversantes afferre consueverunt. Vos auditorum vestrorum fidem, conscientiam et rationem appellatis; isti vero hominum commoda, terrena emolumenta, imo saepius effrenes cupiditates blandiendo commovent excitantque. Vos pacem, concordiam, charitatem, ordinem praedicatis; isti ad concitationes, ad dissensiones, ad luctamina provocant. Jamvero arduum ne erit discernere, ex quanam parte sint sinceri populorum amici, et veri societatis defensores?

Vos itaque, venerabiles Dignitates et Canonici, qui praeclarum constituitis senatum Ecclesiae nostrae Genuensis, et quibus velut corona fratrum (36) circumdabimur, non minus stricto sanctoque vinculo inter vos colligati, ac nobiscum uniti vestro capite et patre, vos nobiscum habebitis partem curarum et sollicitudinis in pastorali ministerio, vos utique praesto nobis opitulantes eritis in exercitio sublimissimae missionis, simulque nos et consilio et opere confortabitis. In altioribus diœcesani Cleri subselliis collocati, caeteris exemplo eritis, tum diligentia in sacris muneribus, tum ecclesiasticae disciplinae observantia, tum constanti omnium et sacerdotalium et christianarum virtutum exercitio.

Iisdem virtutibus eademque morum integritate micabitis et vos, venerabiles Canonici singularum collegiatarum nostrae diœcesis ecclesiarum, et facietis ut vita

nomini (37), quod praefertis, respondeat; sicque eadem vos, ac Capituli nostri metropolitani membra, ad nostram existimationem et dilectionem jura acquiretis.

Vos nunc, o venerandi animarum Rectores, fideles et sapientes cooperatores zeli nostri et amoris erga gregem nostrae curae commissum; vos qui tanta patientia et aequo animo indefesse laborantes in vinea Domini pondus diei sustinetis et aestus (38); vos tandem, quorum praecipue ope et adjutorio ministerium proficuum reddere valemus populo, ad cujus salutem ordinatur; vos, inquam, solemne hic et honorabile accipitote testimonium singularis et quidem plenissimae fiduciae, quam in efficaci vestra cooperatione fragrantique virtutum odore reponimus. Id itaque pro certo tenete quod, ministerium vestrum honorificando juxta Apostoli exemplum (39), eo majores titulos acquiretis ad nostrum affectum, necnon in impensum studium ad omne quod sortes vestras aut meliores reddere valeat, aut solatio aliquo afficiat. Verum dum zelanti et concordi animo obsecundantes pro viribus nos juvabitis ad omnia quae pro gregis nostri sanctificatione adgredimur, id nunquam vobis mente excidat, nempe ministerium, quo fungimini, prae se ferre debere feliciter commixtas et severitatem quae veritati obsequium parit, et mansuetudinem quae illi amorem conciliat; mementote, quod si veritas hominum corda illuminat, charitate et patientia fit quaestus animarum: ministri Christi, Christi ipsius fideliores imitatores eritis: incessantes conatus vestros conferetis ad commovendos convertendosque peccatores, neutiquam vero ad illos

aut ignominia aut pudore suffundendos. Ad instar Samaritani, oleum vino miscebitis ad resananda vulnera ovium: scitis etiam nullum esse debere absque prudentia zelum, et vel ipsam sapientiam, juxta Spiritus Sancti effatum, nunquam debere sobrietatis fines praetergredi (40).

Videte ergo, ut vos Pauli verbis alloquamur, videte in qua via incedatis; quandoquidem mali sunt dies (41): fugite novitates doctrinae (42); simulque ingeniis temerariis et fraeni impatientibus relinquite illa opinamenta periculis plena, male olentia, immoderata, quae ad id unum conferunt, videlicet ad discordias in clero serendas et dissidentias inter fideles: sunt certi denique fines sapientia majorum signati, quos citra ultraque progredi nefas (43). Tandem mementote, ministerium pastorale in hoc solum consistere, nempe ut servetur, custodiatur veritas, neutiquam vero ut inveniatur: *fidem servavi, conclamat Apostolus.... depositum custodi... permane in iis quae didicistis... tenete traditiones* (44).

Siculi omnis spei nostrae, ita et omnis sollicitudinis et effusioris curae argumentum estis, o tenella sanctuarii genimina, juniores Levitae, quos periti magistri in seminariis Genuensi et Clavariensi ad sacras doctrinas erudiunt, et ad omnes instituunt sacerdotales virtutes: ex brevibus annis sacri tyrocinii, uberiores quos poteritis, enixe rogo, fructus percipite, tempus labore et studiis ita redimite, juxta monitum Apostoli (45), ut aliquando digni fiatis Christi ministri: sacris hisce in aedibus probanda est vestra vocatio (46); quandoquidem ex vobis eliget Dominus quos sibi cooptabit, et sacri cultus of-

202

ficiis mancipabit (47) secundum mensuram donorum et varietatem gratiarum, quas singulis vestrum impertietur (48).

In vestra ibidem cooperatione fidenter conquiescimus; nec minus enixe vestrarum orationum efficaciae nos nostraque commendamus, simulque concursum vestrum exposcimus, vos pii Sodales tot insignium religiosarum familiarum et tot sacrorum consortiorum, vos qui operosae vitae labores exercitiis religiosis copulatis, vel qui, unice momentoso salutis negotio intenti, dies pacifice transigitis in aeternorum meditatione, in sacrorum canticorum hymnorumque persolutione: nunquam, quaeso, mente et corde vestro elabantur solemnia vota, quibus vos Deo obstrinxistis; saepe animum intendite in vestrae vocationis sanctitatem; cunctaque inter vos redoleant bonum Christi odorem, quem specialem vobis uti magistrum et ducem selegistis, et a quo ampliorem mercedem expectatis.

Similia quoque vota et monita, easdemque observationes vobis fundimus, o dilectae Christi sponsae, praestantes filiae tot Sanctorum et Sanctarum, e quibus orta sunt vestra pia sodalitia: vos divinus Praeceptor, uti olim Martae sororem, ad meliorem partem amplectendam vocavit, ad hanc, inquam, partem, quam nil unquam a vobis auferet, modo fideles vosmetipsas in illa servanda praebeatis.

Curis itaque hisce, non minus momentosis quam multiplicibus, ex officio mancipati, oh! quam suave nobis, ut vestrum invocemus concursum, imo suavior adhuc co-

gitatio quod illius nos non fallat spes, vos Optimates viri, quos, in quovis ordine et gradu, Principis auctoritatis depositarios et custodes veneramur. Vestram quoque non minus ardenti animo adsistentiam exoptamus, providi Rectores Genuensis municipii, qui tam sollicite et impense id omne promovetis quod civicam felicitatem in tuto collocare, splendorem augere, progressumque fovere potest: vestrum subsidium eo fidentius nobis concessuros speramus, quo magis ratum vobis esse debet, nunquam ferme magis, quam hac nostra aetate, ad operandum bonum necessariam undequaque esse animorum concordiam, virium unionem, studiorumque harmoniam.

Ad vos nunc revertamur, o vos omnes, cujusvis conditionis et gradus, aetatis et sexus, filii nostri dilectissimi, quibuscum deinceps, favente Deo, et vivemus et moriemur; vos praesertim aerumnis vitae conflictati, dilecta membra Christi, vos tot miseriis oppressi, qui vitae nil nisi egestatem et angores, dolores et abjectiones experimini, ad vos utique urgebit nos charitas Christi: et quum pro dilectione, qua omnes complecti debemus, omnium indiscriminatim pater ex officio fiamus, duplici titulo vestrum infelicium pater esse et volumus et debemus.

Quod si modo omnia omnino nostra, cogitationes et sensus, labores et curas ~~vobis~~ jamnunc alacres vobis dicamus, idcirco a vobis exposcimus ut vestras nostris precibus continuo consocietis ad id omne impetrandum, quod ad communem nostram felicitatem spectat. Qua-

propter enixe a vobis expostulamus, ut sursum corda extollentes supernarum gratiarum copiam deprecemini supremo Pontifici. Ipse est primus annulus mirificae catenae quae Cœlo terram conjungit, et in sublimitate sua hinc benedictiones haurit, quas in terras effundit, ut homines purificet, dignosque tandem aliquando efficiat Sanctorum infinitae beatitatis. Universalis venerationis tributum, quod altissima ejus dignitas imponit, suarum virtutum thesaurus suavissime inspirat. Orate, dilectissimi, ut mundi eventus Fidei triumphis propitii evolvantur, et Ecclesiae ejusque visibilis Capitis vota sanctissima expleantur.

Eodem animi ardore preces fundite pro Augusto Rege Victorio Emmanuele II, qui pro nobili indolis sinceritate et firmitate, pro singulari bonitate cordis et liberalitate, et pro bellica virtute dignus est vestrae obedientiae aeque ac dilectionis. Earumdem precum suffragio complectiminor Reginam Augustam Adelaidem, Regii sponsi sortium sociam, quam praeclarissimus virtutum complexus alte commendat omnium plane totius Regni civium et obsequio et amori. Nec in orationibus vestris obliviscamini Augustam Viduam Principis illius, qui longa annorum serie felicitati nostrae tam impense studuit: ipsa quoque regii throni splendorem splendore praeclarissimarum virtutum angebat, nec aliam unquam felicitatem cognovit, praeter quam beneficia fundere et infelices solari. Rogate Deum pro RR. CC. Duce et Ducissa Genuensium, in quibus eximiae animi virtutes ingenii dotes adhuc longe clariores reddunt. Rogate Deum

pro omnibus et singulis de Regia domo et stirpe Sabauda.

Protendantur itidem enixae vestrae deprecationes, dilectissimi, ad politicos Coetus qui supremum nationis conventum constituunt, quorum deliberationes tam altum exercent imperium in graviores patriae nostrae sortes.

Tandem pro nobis ipsis, pro Pastore vestro et Patre suppliciter exorate, ut Dominus Deus in nos immittat lumen, robur et solamina, quibus tantopere indigemus ad complendam multiplicis officii nostri mensuram. Oh! si unquam praevidere potuissemus, sancta et in aevum dilecta Ecclesia Pineroliensis, non ruptum iri vincula tam fortia et suavia, quibus tibi et filiis tuis colligabamur, nisi ut nova alia contraheremus; si forte praescire potuissemus leviori pondere nos non fuisse exoneratos, nisi ut aliud longe gravius nobis imponi videremus, tibi procul dubio extremam dicavissemus tum mentis tum cordis aspirationem. Felices profecto nos tenuissemus, si nobis datum fuisset hoc modo respondere tot praeclaris argumentis fiduciae et impensae dilectionis, quae continue istius dioecesis et clerus et fideles, exemplo venerandi cathedralis ecclesiae Capituli, nobis praebuerunt, et pro quibus optamus ut hic novum recipiant grati nostri animi et dilectionis solemne testimonium.

Itaque, D. F. et F., iisdem prorsus animi sensibus vos ac priores illos nostros filios complectimur. Sunt ne nobis sperandi apud vos iidem, ac apud illos praesto nobis fuerunt, fiduciae, docilitatis et amoris sensus? Ita quidem firmissima hac spe erigimur. Interim id, quo

nil certius, est quod nempe nulli curae, nulli labori parcemus unquam, ut tales ex parte vestrum sensus promereamur. Istorum sensuum, quaeso, primum hodie testimonium nobis praebete, dilectissimi, ut videlicet voces vestras nostris miscentes sic Deum, communem Patrem qui est in cœlis, una simul concordi et ardenti animo enixe deprecemur: « Domine, Deus Angelorum hominumque, effunde super nos assistentem sapientiam quae in omnibus operibus tuis manifestatur: e gloriae throno, unde omnipotentes oculos super triplicem tuam Ecclesiam moves, mitte illam ad nos, ut ejus ope sciamus juste discernere et fideliter exequi quidquid est beneplacitum ante te, et gregi nostro salutare (49) ».

Gratia D. N. J. C. sit cum omnibus vobis, et maneat in aeternum (50). Amen.

Legantur praesentes istae nostrae litterae pastorales ex cathedra in singulis parochialibus Ecclesiis Diœcesis nostrae, prima die dominica, postquam ad Parochos pervenerint.

Datum ad Montem S. Michaëlis juxta Monasterium Centronum, XI cal. januarias ann. MDCCCLII.

✠ ANDREAS Arch. Genuensis,

HENRICUS JORIOZ S. F. Doct. ab actis.

NOTAE.

(1) I Tim., 6, 4.
(2) I Pet., 2, 25.
(3) I Mach., 7.
(4) I Cor., 12, 29.
(5) I Tim., 2.
(6) Luc., 6.
(7) Matt., 16, 18.
(8) Joann., 15.
(9) Act., 2.
(10) Rom, I. — I Cor., I. — II Cor., I. — Gal., I, — Ephes., I. — Coloss., I. — I, Tim., — II, Tim., I.
(11) Hebr., 5.
(12) Ephes., 4.
(13) Joann., 16, 15. — Marc., 16. — Matt., 28.
(14) Matt., 28.
(15) Pro Christo legatione fungimur, II Cor. 5.
(16) Sap., 4.
(17) I Cor., 7.
(18) II Tim., 3.
(19) II Tim., 4.
(20) Joann., 14.
(21) Ephes., 4.
(22) Psal., 11.
(23) Jacob. 4.
(24) Luc., 12.
(25) II Cor., 6
(26) Matt., 28.
(27) Psal, 88.
(28) Sermo I de anniv. ass.
(29) Philip., 4.
(30) Rom., I.

(31) Psal., 34, 18.

(32) II Tim., 4.

(33) I Cor, 1, 10.

(34) I Cor., 9, 22.

(35) Psal., 116.

(36) Philip., 4.

(37) Canonici dicuntur qui regularem et rectam tenentur ducere vitam. Dionysius Carthus.

(38) Matt., 20.

(39) Rom., 12.

(40) Ibid.

(41) Ephes., 5.

(42) II Tim., 2, 3. — Tit., 3 — Hebr., 13.

(43) Prov., 22,

(44) II Tim., 4, 3. — I, Tim., 6 - Thess., 2

(45) Ephes., 5.

(46) I, Tim. 3.

(47) Num., 16.

(48) Matt., 25. — Ephes., 4.

(49) Sap., 9.

(50) II Thess., 3.

AVG. TAVRINORVM, TYPOGRAPHIS CHIRIO ET MINA.